



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 114. Parisinæ Urbis obsidio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

contenderet, ut Castellione ad Sequa-  
nam Longavillæ Duci, & Francisco  
Lanojo sese jungere posset, hinc Rex  
Sancio adhuc iter prosequente, Castro-  
Heraldo discessit Turonium reversurus:  
inde vero Blesas, ac demum Bogentia-  
cum concessit: adventante autem San-  
cio Confluentii prope Pontisaram mo-  
rabatur.

## §. CXIV.

*Parisiensæ Urbis obsidio.*

Regis exercitus hisce suppetiis auctus  
fœderatos brevi debellando par esse  
credebatur, ac die vigesima quinta Ju-  
lii superato Possiacensi ponte Rex altera  
die summo mane suas copias recense-  
bat unacum Navarræ Rege, & Mont-  
penferio Duce: eadem vero die motis  
castris ad sancti Clodoaldi oppidum ad  
sequanam situm contendit, moxque vi-  
gesima nona ejusdem Mensis die sa-  
xeum pontem huic flumini impositum  
occupavit.

Postea sancti Honorati suburbium,  
ac Luparense Palatium prope amnem  
cinxerat: interea autem Navarræ  
Rex altera ex parte a sancti Marsalli  
suburbio usque ad sancti Germani op-  
pidum copias suas extendit: ast Madua-  
nus Dux, qui Parisiis hærebat, non  
modo defendendæ urbi satis abunde  
prospe-

*Thuar. l. 96.**Davil. l. 10.**Mem. d' E-**toil. t. 1.**pag. 284.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1589.

prospexerat, atque in omnibus majoris momenti locis fossas, ac propugnacula erigi jusserat, sed insuper ab ipso populo, qui maxima pugnandi aviditate flagrare videbatur, opem sibi polliceri poterat, cum enim Memoria, Montpenseria, & Guisæ Ducissæ populum vehementer sollicitarent, necnon Verbi Divini Præcones fervide declamarent, omnium animi accendebantur, præcipue vero Sacerdotum, & Monachorum, qui militum partes explere non dubitabant, exemplo tantopere animati erant, ut una omnes totis viribus resistere decernerent: horum tamen molimina detestando Jacobi Clementis Dominicani facinore evanescere, totaque res aliam induit faciem.

§. CXV.

*Jacobus Clemens e familia sancti Dominici Henricum Regem trucidare decernens.*

*Thuan. &  
Davila l. c.  
Spond. hoc  
ann. n. 14.  
Mem. d'Estoile p. 284.*

Hic Religiosus in quadam Sorbonnæ villa prope Senones in Fratrum Prædicatorum ejusdem Urbis cænobio Sacra veste indutus hoc institutum profitebatur, dum circiter annum ætatis suæ vigesimum secundum agebat, eratque homo literarum ignarus, ingenio debilis, ac moribus parum compositus, qui sive ob vehementes Prædicatorum decla-